



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XXI. Chrysostomu[m] prosequitur laudibus Synesius, probris Hieronymus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

bus fere Europæ Episcopis à communionē sua deinde segregavit; ut patet ex Epistola A quadam Innocentij ad Arcadium, quam exhibent Georgius Alexandrinus in vita Chrysofostomi, cap. 68. & Anonymus vitæ ejusdem scriptor, cap. 130. quæque in Tomis Conciliorum extat: & stitisset certe vadimonium coram Vniuersali Synodo, quam cogere meditabatur Arcadius, nisi Innocentium Papam, constandæ ejus Auctorem mors occupasset. Tandem varie jactatus Iohannes, & summa inhumanitate ab inimicis habitus Comanis obiit anno 407.

XX. Nec ita tamen Theophili iræ conquierunt. Is post priorem Chrysofostomi restitutionem, in decima tertia Pseudosynodi actione Heraclidæ, quem Ephesium Episcopum Iohannes creauerat, dignitatem abrogare studuit: at repugnantibus multis, in apertam seditionem contentio erupit. Jamque res armis agebatur; multis vulneratis, paucis aliquot interfectis, qui unus omnium maxime petebatur Theophilus, fuga sibi consuluit; quamvis literis quaquaversus missis, ad Synodum celebrandam, rogatu Chrysofostomi, Episcopos Arcadius accivisset. Post obitum autem Iohannis, non operam solum Theophilus dedit ne in Diptycha nomen ipsius referretur ab Orientis Episcopis, sed ut infame etiam vulgo haberetur, scripto ad id grandi volumine. Cuius libri fragmentum libro suo sexto Facundus inseruit, eundemque ab Hieronymo Latine conversum fuisse testatus est. Hæ Isidoro Pelusiota causæ fuerunt, cur Theophilum graviter coargueret, *λιδομαννί* illum, & *χρυσολογί* appellans, & adductum dicens ad insectandum Iohannem ex Isidori illius supra à nobis commemorati occasione: *ὁ δὲ π. λβ.* inquit, *καὶ θεολογὸν καὶ πολέμιον αἰθροπῶν, ὃν αἰεὶ ὁ ἰσοὶ βραβύτου ἀποθέσειν ἐν διαθήκαι, ἰρημώσεων ἢ οὐκείας ἀρρητότα οὐκείων.* *Deo carum, & rerum divinarum consultiū oppugnavit hominem, cum inimicitiam & odium adversus hominem mihi cognominem propterea perversitatis occasionem reperisset.* Vnde Sozomeni narratio, susceptas adversus Isidorum inimicitias causam Theophilo dedisse dicentis, cur tantas conciret turbas, adversus Baronium confirmatur.

Isidor. Pel.
lib. 1. 15.

Baron. A.
407. c. 18.
Synes. Epist.
66.

XXI. Synesius quoque temporum illorum æqualis, licet sub Theophili ditone positus, in Epistola tamen ad ipsam data, Iohannis nihilominus memoriam laude prosequitur. Idem cum ad Episcopatum Cyrenensem superiore anno inivit promotus, ad declinandum onus, & populū absterrendum publice contestabatur, nec mundi occasum, nec resurrectionem corporum, nec animas iam formatas inferi corporibus sibi posse persuaderi: quæ cum insignia sint capita Origenianæ doctrinæ, valde in his locis exofam tunc fuisse concludimus. At Hieronymus Chrysofostomi expulsionem & exilium Theophilo per Epistolam gratulatus est: *Vnde & nos*, inquit, *Iohannem qui dudum Constantinopolitanam rexerat Ecclesiam, Deo placere semper optavimus, & causis perditionis eius, in quas ferebatur improvidus, nequaquam credere volumus. Sed ille, ut cætera flagitia eius taceam, Origenis in suam recipiens familiaritatem, & ex his plurimos in sacerdotium provehens, atque ob hoc scelus beata memoria hominum Dei Epiphanium, qui inter Episcopos clarum in orbe fidus esset, non parvo dolore contristans, mecum* *audire: Cecidit, cecidit Babylon.* Minime itaque assentiendum Baronio, qui concitatas à Theophilo adversus Chrysofostomum turbas ægerime tulisse Hieronymum coniectat.

Baron. A.
404. c. 13.

XXII. Observatione vero dignum est quod narrat Socrates, Georgius Alexandrinus, & Symeon Metaphrastes, in Theophilum vulgi odium crevisse, idcirco quod post damnatos tanto conatu Origenis libros, eorum etiam tum lectioni deditus esse deprehensus sit: cuius rei causam cum ab eo pereontaretur quispiam, respondisse prout floribus confito similes esse libros Origenis, decerpere se quæ pulchra sunt; quæ spinosa, praterire: atque id omnibus offensionem fuisse. De ea re ita Rupertus Tuitiensis libr. 1. Comment. in Deuter. cap. 9. *Iuxta literam man festis est equitas, juxta anagogen vero judicij Lectorum inhibetur mutabilitas, videlicet quam in Theophilo Alexandrina civitatis Episcopo Ecclesiastica reprehendit ratio. Qui cum Iohannis Constantinopolitani, qui Chrysofostomus appellatur, esset inimicus, lectionem Origenis, cui libenter incumbere, zelo ejusdem Iohannis damnavit: tandemque damnato Iohanne, quia se à lectione Origenis non cohibuit, rursus ipse lectioni Origenis ejusdem incubuit.* Hinc existimari potest quanta varietate Theophilus, per speciem insectandi Origenismi privatas simultates ultus sit; facile præsertim receptis paulo ante in gratiam Origenistis: sed ut in cæpta tamen simulatione perseveraret, stultum hoc ipso, & sequente præterea anno summa asperitate & maledicentia exercuit adversus Origenem in Epistolis Paschalibus, quas Latine exposuit Hieronymus, in abolendis Origenitarum erroribus Theophilo consentiens.

XXIII. Anno Christi 412. decessit Theophilus, relicto cum Epistolis Paschalibus grandi volumine, in quibus suum adversus Origenem vel verum, vel simulatum odium insignibus monumentis expressit. De eo volumine sic Gennadius libr. De vir. illust. *scripsit adversus Origenem unum & grande volumen, in quo omnia pene eius dicta, & ipsam pariter damnat; similiter docens non à se eum primum, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla fuisse & Presbyterio ejectum, & de Ecclesia pulsum, & de civitate fugatum.* Refert ex Isidoro Diacono lo-